Depono, et ita me tuames, de Batavo sinu, quem
ille affectus incolit, quo te diligere; et quantâ par est
observantiâ prosequi nunquam desiturus sum.
Vale Vir Amplissime, et properanti nunc quoque
ignosce tumultuariam dictionem. Hagæ Com:
Sacerrimo natali d: nostri I. Christi 1632.

Tuus.

(170)

Heinsio. Illustribus Polonis, quos nuper frustrâ commendasti
cum se possent maximè, officia ~~mea~~ omnia, quæ a mei loci
homine, et quidem tui amantissimo expectare pote-
rant, libens meritoque detuli; nunc præstiti, quæ
pro humanitate summâ, quâ excellunt, arbitror ha-
buisse grata et accepta. Quod nunc pro manu est
ad te pertinet. Græci in quam versiculi isti, quos nuper
obiter inspexisti. Rogatur N. Nijlius, ut excudendos curet,
si præclo digni censeantur, quod in transcursu lector
non dubitem asserere. Sed nimirum tuus præcipua
argumenti pars cum sis, et in magnâ tetrade, quam
~~in Triade sanius constitisset etc~~ se prodere autor putat,
cum in Triade sanius constitisset, cum Rigaltijs, Mau-
sacis, et quodam tertio noto compossagris, imprimis con-
sulendus es, ecquid gratam editionem carminis habiturus
sis. Advertes si tanti est, mentem, et sententiæ meæ
suffragium ne expectas, nisi tuo in antecessu probito.
Parum est in morâ periculi, nisi quod noster Nijlius
gratificari amat, quam potest citissime. Vale Vir
Summe et me ama. Hagæ Com: 15. Id:
Jan: CIↃIↃCXXXIII.

Barlæo. Clarissime Barlæe. (171)
Quadringentos florenos, quos illustrium laborum tuorum,
nescio an vile pretium, dono tibi mittendos Princeps
jussit, tuo nomine heri hic recepi. Eosdem Amstelo-
dami ex assignatione, quam huic adjungo, ab affine
meo Bekkerio ut recipieres, potius duxi, quam ut
via periculum adirent illi, tu subires impensam: Ad
Usuras Mercatorias ista si exigas, poterant his data videri
si promptius, sed captandas horas, nobis, et momenta qui
a nulâ gratificari amicis cupimus, aut prudens nosti, aut
jam disces, et me ama, qui te constantissime. Hagæ Com: Non:
Jan. anno CIↃIↃCXXXIII., quem porro prosperum et aureum
tibi tuisque precor.

Tuus. C. H. Filio.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 55v
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/750